OBSERVATIO QUAEDAM
DE

FLUXU COELIACO SYPHILITICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE III. M. APRILIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROLUS RASCHE,
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. E. FRIESE, MED. ET CHIR. DR.
F. PUELLENBERG, MED. ET CHIR. DR.
Ew. SCHMIDT, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

K U H N

MED. ET CHIR. DR. MEDICO MILITUM PRAETORIANORUM SUPERIORI. EQUITI OREINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSI SECUNDA ORDINIS RUSSICI A ST. WLADIMIR ET A ST. ANNEN

PATERNO AMICO

NEC NON

PATRI OPTIMO

GODFR. RASCHE

USQUE AD CINERES COLENDO

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Procemium.

Inter morbos varios chronici praesertim sunt, qui saepissime medicorum curationi pertinaciter obstant, quibusque simul medicus et aegroti cruciantur. Causam quaerentes non quod vis medicatrix naturae minor in chronicis morbis, quam in acutis, non quod medicamina nostra indifferentia, sed quod indoles morborum et causae nobis non satis notae sint, hac in re causam curationis infelicis inveniemus. Novimus quidem morbos ipsos, sed similibus symptomatibus falsi, diversissimos morbos ad unum ordinem conferimus, et hi nobis similes morbi saepe contraria curatione sanandi sunt, quia causae eiusdem, ut false credimus, morbi pervariae sunt; v. c. morbi hydropices, quos uno symptomate, nimis seri secretione classificamus, cum quisquis medicus diversos morbos paribus symptomatibus coniunctos esse bene scit. Est igitur medici rationalis in destinanda classe

morborum magis ad symptomata in constituenda curatione magis ad causas conspiciendi.

Multum autem superest, ut singularium morborum causas omnes cognovissemus et quisque, qui morbi cuiusdam causam propriam adhuc ignotam invenit, de litteris medicis bene meritus est.

Ergo credidi me nil superfluum scribere, cum in conquerendo dissertationis themate observationem, quam in nosodochio caritatis feci, eligerem, quam rarissime vel nunquam visam esse putavi.

Haud quaquam voluntas mea est, de fluxu coeliaco de indole eius etc. scribendi, cum praeclarissimi viri ante me, quibuscum neque ingenio neque facultate comparari possim, hoc fecerint; ad observationes tantum huius rari morbi unam adiiciam de fluxu coeliaco syphilitico atque a vobis lectores benevoli peto ut hisce primitiis indulgeatis.

Introducto.

De fluxu coeliaco, iam a veterrimis medicis observato, rationes autorum diversissimae sunt. Jam Hipporates in aphorismis hoc de morbo loquitur, Celsus 1) de tenesmo morbum sic describit:

„Descendunt autem muci pituitaeque similia, „interdum leviter subcruenta sed iis interpouuntur „nonnunquam ex cibo quodam bene cocta."

Quaedes criptio tenesmi Celsi 2) plane aptanda est ad fluxum coeliacum nostrum, dum morbum coeliacum Celsi nostram colicam flatulentam esse constat. Celsus ergo morbum melius noverat quam serioris aetatis scriptores, quamvis aliud nomeu ei dedisset.

Trillerus nomine „morbus caeliacus" pertnrbatus, comparat hunc morbum Celsi cum morbo coe-

1) Celsus de Medicina Lib. 4. Gap. 18.
2) Celsus de Medicina Lib. 4. Cap. 12.
3) Trillerus de morbo coeliaco singulari a. C. Celso descripto. in opusculis p. 281.

liaco Aretaei, 1) qui morbum pro gradu minori lienteriae habendum esse, existimat, cuius rationi et Fernelius 2) assentit. Riverius 3) quoque contendit cibos magis coctos esse, quam in lienteria, plerumque autem morbum lienteriae similem esse. Maximi tunc temporis medici hanc rationem sequuntur. Ex scriptoribus recentibus Selle 4) chymum evacuatum esse contendit, ut morbus hepatis causa sit. Alii scriptores mucum pro chylo habendum esse existimarunt, ubi organa concoctionis sana, sed organa resorbtionis vitiosa essent, ut Boerhave, van Switen 5) Riverius. Jam Cullen 6) chylum verum raro, sed materiam lymphaticam purulentam excerni dicit. Ballonius 7) obstructiones glandularum mesenterialium, Darvine 8) motum retrogradum vasorum absorbentium causam esse declarat. Omnes hae rationes facile refutantur, cum, si vitia concoctionis aut resorbtionis causae essent, nequaquum faeces naturales

---

1) Aretaeus Cappadoceus de causis et signis morborum Lib. 2. Cap. 7.

2) Fernelius opera.

3) Riverius praxis medica.

4) Selle medicina clinica.

5) Van Switen commentar. in aphorism Boerhavii.

6) Cullen Anfangsgründe der pract. Aezneikunst. 1800. Bd. 3 pag. 566.

7) Ballonius Consilia medicinalia. Lib. 1.

8) Darwine An account the retrograde motions of the absorbent vessels of animal.

cum illa materia mucosa evacuari possent, quae tamen bonam digestionem argumentant, et ratio recentium autorum, secundum quos morbus coeliacus ad classem blennorrhoearum pertineat, veresimilior nobis fit, cum veteres scriptores morbum cum multis aliis cum fluxu hepatico lienteria dysenteria diarrhoea etc. confunderent.

Recentium scriptorum praesertim Vogel 1) omnes veteres rationes rejecit, ipse autem theoriam haud sufficientem indixit. Morbum coeliacum igitur cachexiam propriam humorum intestinalium esse credidit. Cum autem faeces naturales semper adsunt vix cachexia intestinalium humorum statuenda est. Post Vogel 2) illustrissimi viri fluxum coeliacum blennorrhaeam esse statuerunt et alii quidem blennhorraeam totius tractus intestinalis, alii recti solius adesse crediderunt. Pro blennorrhaea tractus intestinalis habuerunt morbum Reil 3) et Flies 4), quorum alter in morbo phthisin pituitosam intestinalem vidit, sed false, nam si totus intestinalis tractus morbo affectus esset haud quaquam mucus secretus sic separate a faecibus evacuaretur, sed cum faeci-

---

1) Vogel Handbuch der practischen Arzneiwissenschaft. Theil 6.

2) Vogel Dissert. de fluxus coeliaci genuina ratione et notione Gättingen 1768.

3) Reil Fieberlehre. 3 Th.

4) Flies Diss. inauguralis de morbo coeliaco.

bus mixtus videretur. Sunt autem observatationes, ubi mucus cum faecibus coniunctus fuit; hic, nisi morbus omnino alius esset blennhorraea intestinorum affuit, sed in casibus multo plurimis tempore matutino faeces fere sine muco, et per diem sexies vel octies mucum sine faecibus excerni, ab auctoribus enarratur. Hisce in casibus certe rectum solum affectum erat, cum faeces in hoc intestinum intrantes iam formatae ac firmae sint, et cum muco se miscere nequeant. Hoc modo iudicant de fluxu coeliaco Richter 1), Saemmering 2), Haase 3), quorum Richter et Saemmering morbum maximo jure cum fluore albo pompuraverunt.

Sed quaeritur, utrum fluxus coeliacus simplici blennorrhaeae recti „Haemorrhoides mucosae" nominatae aequalis sit nec ne, utrum indoles fluxus coeliaci alia sit, quam haemorrhoidum mucosarum, an forma sola varia et uterque diversi gradus unius morbi sit.

Haec discrimina a plurimis autoribus destinantur: Blennorrhaea simplex torminibus, tenesmo, febre hectica omnibusque affectionibus organismi totius fluxum coeliacum concomitantibus caret; in

---

1) Richter spec. Therapie Theil 4.
2) Saemmering de morbis vasorum absorbentium.
3) Haase Ueber Erkenntniss und Kur der chron. Krankheiten 3 Bd.

fluxu coeliaco autem symptomata diversissima animadvertuntur, praeter muci deiectiones tenesmus dolores colici, pallor, cutis sicca, flauida, palpitatio cordis, flatus intumescentia ventris tympanica etc.

Ex his muci deiectiones in blennorrhaea simplici morbum idiopathicum esse, in fluxu coeliaco autem symptomaticum, constare videntur; quo fit, ut tam varia symptomata ex variis causis egrediantur, et fere nullum symptoma, excepto tenesmo, semper animadvertatur. Igitur fluxum coeliacum blennorrhaeam recti malignam nominarem. Causae occasionales observatae sunt:

Vermes, rheumatismus et arthritis anomala a Foresto, 1), Ballonio 2), Verzaschae 3), acrimonia exanthematica et scrophulosa a Thilenio 4) fluor albus repulsus ab Hufeland 5) sen. Quibus causis venenum syphiliticum adnumero, qnam rationem observatio haec demonstrabit.

---

1) Forest Observationes et curationes medicinales 1602-7.
2) Ballonius Consilia medi.
3) Verzaschae Observation. medic. centuria.
4) Thilenius med. u. chir. Bemerkungen.
5) Hufeland Journal der pract. Heilkunde. 1811. Stück 6. Juni.

Historia morbi.

Caroline B** viginti et sex annos nata habitu phthisico praedita prima juventute valetudine utebatur bona. Superavit variolas et decem annos nata typhum haud quaquam mala animadvertens ex his morbis redundantia. Duodevigesimo anno menses celeriter et sine difficultate apparuerunt et justi per triennium permanserunt. Tum illa aegrota in nosocomio Caritatis berolinensi celeriter edidit partum et lochia regulis accommodata defluxerunt. Post partum quarto mense infans in morbum quendam incisus, mortuus est.

Rediit menstruatio post sextum mensem acerbas molestias secum ferens, diu usis medicaminibus utilibus tum sicut antea justa defluxit. Posthac adscripta est puellis publicis et hoc tempore ulcere syphilitico infectae iterum in nosocomio caritatis morbus sanatus est. Sex hebdomadibus post sanitate reddita demissa est.

Tunc redacta ad pristinam consuetudinem mansit restituta veletudo per nonnullum tempus, deinde ante sex menses tertiae receptionis iterum infecta est. Sed morbus bubone tantum, ut videbatur, primario conspieciebatur. Eodem tempore et crebram blennorrhoeam ex intestino recto sensit et tenesmo orto quotidie sexies vel octies de-

misit nonnullum mucum, quem ortum ex haemorrhoidalibus mucosis arbitrabatur. Praeterea quotidie semel excretio alvi fuit, quae illita muco erat. Hoc phaenomenon excepto tenesmo sine ulla difficultate incidit, ut aegrota blennorrhoea tantum proprium morbum sentiret. Supramemorati bubonis causa aegrota in nostrum nosocomium recepta est et post octo hebdomades et maturato et per cultrum aperto bubone sanitateque reddita demissa est. Interea blennorrhoea ex intestino permansit haud interrupta; simul affectio pulmonum quaedam magis magisque crescebat tum secuta: tussis, sputa, asthma paulo post febris hectica, orta partim ex phthisi partim ex excretionibus mucosis. Mense Majo MDCCCVIII aegrota in nosocomio recepta est.

Status praesens.

Valetudo organismi valde affecta non est, magnam quidem astheniam queritur, egredi tamen ex lectu et circumire aegrota sustinet. Orexis valde bona, digestio et alvus regulis accomodata sunt; sudores nocturni et sputa perniciosa et debilitante ratione aegrotam afficiunt.

Mucus ex intestino satis large secernitur, copia muci congesta tenesmum excitat, deinde octi-

es vel decies quotidie demittitur, ut per quatuor viginti horas octo vel decem uncias ex corpore secernantur. Mucus subalbidus crasso liquore piscario odore non putido, homogena copia est. Pulmonum affectio tussi, sputis, asthmate et febre hectica phthisin esse ostendit. Praeterea dyscrasia syphilitica laborare aegrota videtur, cum interdum reductum exanthema faciei et praecipue frontis omnino corona veneris adspiciatur. Quo magis pulmonum affectio crescebat, eo magis evanescebat exanthema, attamen, dyscrasias et inter has praecipue syphiliticam, morbis, graviter immissis, ut typho, phthisi, febri hectica etc. repulsatas etiam sublatas esse satis constat. Usque eo menses justi quamquam minoris copiae defluxerunt; partes genitales omnino omnis morbi affectionis liberatae sunt.

Aetiologia.

Proxima causa ad concomitantes affectiones non respicienti mucus nimis secretus habendus est. Causa occasionalis verisimillime infectio fuit muco urethroblennorrhoeae syphiliticae, cum et ratione vivendi, pretio praebere coitum, et bubone syphilitico eodem tempore conspecto, satis illa causa declaretur, propterea quod haud quaquam aliud argumentum inveni possit, cumque haud dubie dys-

crasia syphilitica adsit significata crebro syphilitico exanthemate apparente. Hinc ille bubo eodem tempore conjunctus cum blennorrhoea, quam aegrota dissimulavit et quae hac ex causa in curationem recepta non est. Itaque remansit illa blennorrhoea propterea quod vivendi ratione aegrotae maior vis syphiliticae dyscrasiae adesset.

Haec indicia valde hac ex re firmantur, quod aegrota infectionem quidem coitu a natura discrepante non concedens, illam tamen infectionem fortuita ratione omnino non negaret.

Prognosis.

Firmata ratione statui non potuit, quod partim morbo, quem raro sanatum historia medicinae significat, nimis permanente, partim curotione antisyphilitica gravi propter pulmonum affectionem non statuenda, partim pulmonum affectione ipsa omnis tentatio valentis curationis perturbaretur, quae tanto minus contra morbum praevalentem indicata erat, quia aegrota morbo concomitante ipso sine ulla salutis spe perire debebat.

M e d e l a.

Curatio ex autedictis argumentis radicalis esse non potuit, sed, tamen contra symptomata leniens

instituenda erat. Itaque prima ex parte indicationes in nimis crebram muci secretionem intendendae erant, simulque roborantes, cum valetudo haud quaquam mala esset, attamen aegrota quotidie magis magisque emacresceret. Aegrota accepit:

R. Pulv. rad. salep.
Flav. cort. aurant.
Conch. *ppt.*
Sachari ana Drachm. ij.
S. Theelöffelweise.

R. Decoct. quercus. ex Unz. I. ℔j.
Borac. venet. Drachm. ij.
S. ad clysmata.

Adhibita clysmata magna cum difficultate conjuncta erant, nam statim defluxerunt propter debilitatem sphincterum, cum tenesmus minima muci copia orta, etiam post usum clysmatum momentaneam excretionem afferret, tum demum amotus est. — Attamen haec medicamina diminutam muci secretionem efficiebant, valetudo, ut jam ante dictum, omnino affecta non est. Cum paulo post secretio minor quidem, semper tamen maneret, praescripta sunt:

R. Dec. columbo. ex Drachm. ij. Unz. vij.
Ext. cascarill.
Eleosach. foenic ana Drachm. ij.
S. Zweistündl. 1 Esslöffel.

Hoc tempore in fronte exanthema visum est subrubicundum, livore adjuto, paulum elatum, rotundum, siccum, quod syphiliticum esse omnino ostendit; sensim sensimque evanuit neque medicaminibus coactum, neque vim ullam corpori abnoxiam relinquens. Sed tamen exantemate orta muci secretio minor fuit, postea iterum crevit, ut exanthema et blennorrhoeam cum nexu causali et antagonismo quodam conjuncta esse, constaret. Quo tempore primum menses non visi sunt, neque usque ad mortem aegrotae redierunt; molimina quaedam: dolores in regione lumbali, tormina etc. tempus siguificarunt quo menses videndae fuissent. Praeter medicamina autedicta aegrota vespere quovis pulverem Doweri accepit ut tussis vehemens et insomnia minuantur. Vires aegrotae sensim sensimque deficiebant; degestio tamen bono in statu esse videbatur quod orexis non carebat, lingua paulo tantum obtecta, et sedes solidae erant.

Decursus morbi.

Status aute descriptus permansit per nonnullos menses.

Mense Septembre orexis decessit et aegrota praeter paulum jus nullis usa est cibis; praeterea phthisis semper progressa est, tussis et sputa non

exigua, aegrotae vexationes, affuerunt. Eodem mense abscessus natis dextrae ortus, cataplasmatibusque maturatus, apertus est. Pus mucosum atque album fuit et fistula ani esse visa est; per specillum tamen conjunctionem cum recto adesse non significabatur. Nam tum excretio quidem minuebatur et denuo reditum exanthema syphilicum evanescebat nonnullis tantum relictis notis. Cum postea per tres hebdamades abscessus apertus se glutinaret, fluxus coeliacus denuo crevit.

Mense Octobre aegrota primum sentit tormina spastica modo acerbiora modo leviora, fere semper muci excretiones concomitantia. Vires aegrotae valde debilitatae erant, febris hectica gravissima, excretiones haud leves torminibus conjunctis. Attamen non graviores, quam in receptu aegrotae, inappetentia accessa est, ne multa aegrotae proximus obitus obstat.

Mense Novembre magis magisque vires evanuerunt, tussis et sputa permanserunt; curatio leniebat dolores et molimina narcoticis: pulveribus Doweri pilulis ex opio ext. hyoscyam, sulph - aurato; addebatur diaeta corpus nutriens et excitans, nihilominus praevidendus erat proximus obitus.

Mortua est aegrota ant. d. IV. Id. Decembr.

Sectio cadaveris.

Pridie Id. Decembr. obductione collocata haec inventa sunt:

In thoracis cavitate sinistri pulmonis, in latus versa, aversa, praecipue superior pars cum pleura implicata est, omnino impleta tuberculis magna ex parte jam exulceratis; dextri pulmonis superior pars exigue tantum implicata et tuberculis minus impleta est. Inter sinistrum pulmonem et pleuram costalem seri magna copia exsudata est, cum dextra thoracis pars fere libera sero sit. In pericardio sesqui vel duae unciae aquae inventae sunt, quod ad reliqua pertinet et hoc et cor sanum est. Hepar valde magnum, lividum praecipue quod adinferiorem partem pertinet, marcidum. Vesica fellis parva vacua et sine concrementis lapideis, pancreas minus mutatum, glandulae mesenteriales amplificatae et induratae sunt, ut in scrophulosi, et tubercula in pulmonibus orta cum hisce tuberculis mesenterii aequa ratione progressa esse visa sunt. Quibus observationibus incitati, praeclarissimi viri v. c. Dr. Neumann phthisin tuberculosam nil nisi scrophulosin pulmonum esse contenderunt. Tractus intestinalis totius tunicae exsudatione densatae sunt, et lumen intestinorum hac ex re diminutum; recti degenerationes magnas postea commemorabo.

Uteri magnetudine et parenchymate consueto praediti collum induratum quidem, neque scirrhosum est; duo contra ovaria tument atque hydropica sunt, cum eorum parenchyma omnino fere resorbtum sit.

Eo mirabilius haec degeneratio, quod ultimo tantum stadio morbi menstruatio aberraret; nam ante sextum mensem adhuc regulis accomodata fuit; nam amenorrhoea etiam in omnibus morbis cum asthenia conjunctis animadvertitur nequaquam vitium ovariorum organicum significans.

Recti, denique morbo partis praecipue affectae, tunica mucosa emollita est, praesertim ad anum versa, quae tamen degeneratio sursum intestinum, nomine S. romanum, transgressa non est.

Singulares recti glandulae muciparae statu in sano non animadvertendae magnitudine auctae et elatae sunt. Epitelio pluribus in locis rectum caret, ut excoriatum visum sit. Nota quaedam abscessi in morbo orti non adsunt, et orificium internum, si quidem fistula ani affuerit obliteratum est.

Curriculum Vitae.

Ego Carolus Rasche natus Berolini die VII. Mens. Maj. 1806. a patre Godofredo Rasche et a matre, e gente Erhardtiana, confessioni evangelicae addictus sum. Prima litterarum elementa praeceptor, usque ad obitum reverendus, Marggraff me docuit; tum per quadriennium gymnasium Joachimicum frequentavi.

Mense April anni MDCCCXXIV. alumnis instituti medico-chirurgici Friederico-Guilelmiani adscriptus sum et hisce praelectionibus interfui:

Cel. Wolff Logicen et Hodegeticen, Illustr. Knape osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam et una cum Ill. Rudolphi artem cadavera rite dissecandi me docuerunt, hoc viro illustrissimo etiam in enceclopaedia medica, in anatomia universa et comparata, nec non organorum sensuum et dentium praeceptore gavisus sum. Cel Link de historia naturali Ill. Lichtenstein de Zoologia, de physiologia Cel. Eck et Ill. Rudolphi, de physice chemia et pharmacia Cel. Furte et Illustr. Hermstädt praeceptores mihi fuerunt. Ill. Osano in materia medica, in fontibus Germaniae medicatis. Cel. Horn in pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis me instituerunt. De pathologia generali et semiotice, de therapia generali

et speciali Cel. Fr. Hufeland, de therapia speciali Perill. W. Hufeland audivi. Artem formulas medicas concinnandi et medicinam forensem Illustr. Knape et Cel. Casper mihi tradiderunt. Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi exposuit. De arte obstetricia, fascias applicandi, de ossibus fractis et luxatis Ill. Kluge, de chirurgia Cel. Rust et Kluge, de akiurgia Ill. von Graefe, Ill. Rust, Ill. Kluge mihi praeceptores fuerunt. Clinica et medica et chirurgica et ophthalmiatrica Perill. Hufeland, Ill. Neumann, Ill. von Graefe et Cel. Rust frequentavi.

Studiis peractis per annum munere medico-chirurgi inferioris in nosocomio Caritatis functus sum. Tentaminibus et examine rigoroso superatis spero, fore ut summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

Qua facto Parthenopolin me conferre jussus sum ut muoere medici inferioris militaris fungar.

Theses defendendae.

1) Fluxum coeliacum secundum indolem blennorrhoeam recti malignam esse censeo.
2) Venaesectio non est remedium antiplogisticum.
3) Ophthalmiae neonatorum, exceptis contactu ortis, causas in aere tantum quaerendas esse, contendo.
4) In inunctionem instituendam febris hectica non est contraindicans.